

NUMMUS CASTRENSIS

ALEXANDRI FARNESII, PARMÆ

Ducis: Supremi Regis Hisp. in Belgio Præfecti: cuius durante obsidione Antuerpiensi:

Anno Christi 1584.

& 1585.



UM Antuerpia, celeberrimum totius Belgij Emporium, quod præclarè & naturâ loci, & opere munita esset, vinci vix posse videretur, curas omnes viresq; suas in eam domandam contulit Farnesius. Obsessi, ad eludendos hostium conatus, multis locis crepidines, quibus, ut fert illius tractus conditio, franguntur æstus Oceani adlabentis, interscindunt: eoque facto circumjacentem Antuerpiæ terram Scaldi fluviio longè lateque cooperiunt. Vicissim non cessat fiducia atque solertia Alexandro, qui non modo propugnacula hinc inde extra urbem excitat: eaque tormentis maximis instruit: sed etiam è trabium, arborum cæsarum, fascium, vallorum congerie pontem navalem cõficit, longam pedes bis mille: eumque clavis, funibus, similibusque armamentis arctè compingit: compactam altè in aquas defigit. Obsessi cum tanto apparatu civitatem coerceri viderent, omni ingenio & conatu molitiones Alexandri disturbare conantur: magnâ comprimis navi ædificatâ quam, cum nihil ei impervium existimarent. *Finem belli* appellarunt. Crebræ insuper, præter hunc cercurum, naves dimissæ, præ se attemperatum fomitem portantes concepto igne: ut ubi ad molem illam natalem perventum esset, incenso pulvere saxa ingentia vi ejaçtarentur; hæc pontem, si fieri posset, rumperent, atque everterent. Parmensis nihil tantis obsessorum conatibus commotus, perficiendis operibus constanter insistit: quin imò *hostem se despectui habere, & fiduciâ urbis potiunda jam certâ quasi atq; indubitatâ frui, nummi (quem cernis amice Lector) monstrat Epigraphe*. Tancum vicissim à deditione faciendâ sub id temporis obsessi aberant: ut juramenti formulam, quâ cavetur, ne quis de pace verba faceret, renovarint: spemq; cer-

tam